

## CARMEN FOLCARDI DE S. VIGORE.

(ACHERY, *Spicil.* vet. ed. IV, 576.)

Festa dies Patris rutilat celebranda Vigoris,  
 Patrem Bajocas, quem fratrem gaudet Atrebas.  
 Ilujus grata Deo genitrix, generosa virago  
 Pignore de tanto capit assertore superno  
 Natum, quem gesta, benedixit diva potestas,  
 Sacravitque sibi, cuncto sacravit et orbi.  
 Nascitur ergo puer forma speciosus, et alter  
 Fit Samuel, Domino condignus ab ungue tenello.  
 Moxque jugo Domini subclinat lenia colli,  
 Inferturque gregi monachus puer Atrebatensi :  
 Proficiens cunctis Patribus, profecit ab illis,  
 Inclutus ille puer, cunctis subjectus ovanter.  
 Jam quoddam majus meditatur tiro beatus,  
 Fiat ut a patria peregrinis cum patriarcha.

A Exsulat ergo procul hic seminiverbius exsul;  
 Tendens ad populum sibi cœlitus insinuatum,  
 Urbs est Bajocas, quam prisca Neustria monstras.  
 Hanc adit ut doceat quos impius error habebat,  
 Gratia virtutum Christi comitatur alumnum.  
 Quæque docendo monet, signis probat, actibus  
 [implet.  
 Viribus exsanguis reparavit, depulit angues.  
 Ad superos vita functum traxit prece fusa.  
 His populus visis, se sacris devovet undis;  
 Hancque Deo prolem per sacri fontis honorem,  
 Sancte Vigor, generas; sacras cui solvimus odas.  
 Flammaram domitor, qui mundi comprimis ignes.  
 B Ne nos exurant, flammæ compescere gehennæ.

## FOLCARDI OPUSCULA DUBIA.

### VITA S. AUDOMARI

EPISCOPI TERWENNENSIS,

*Scripta ab auctore anonymo, qui ante Normannorum cladem vixisse videtur : apud Surium contracta, et interpolata fortasse à Folcardo monacho Sithivensi sæculo XI; restituta ad apographum Corbeïense.*

(Apud MABILL. *Acta SS. ord. S. Bened.*, Sæc. II, pag. 559.)

### PROLOGUS AUCTORIS.

1. Domino omnipotenti, munerum spiritalium C magnarumque virtutum largitori, multiplices gratias laudesque sedulas dicere debemus, qui, omnium creaturarum visibilium et invisibilium Conditor et gubernator existens, Filium suum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum ad docendas redimendasque omnigenas gentes misit ad terras, etc. Qui duobus et decem apostolis de turba totius generis humani electis, alios quoque alterius ordinis sexaginta et duos regionibus albis ne multæ operarii deessent messi jubet Omnipotens discipulos esse suos, hosque in cœnaculo Sion sancto spiramine repletos, omniumque linguarum mirabili dono ditatos, ad docendas baptizandasque omnigenas gentes ire præcepit, etc. Post hos postque ipsorum successores alios homines agios Dei gratia prædi-

D tos, eodemque spiritu repletos apostolorum vicarios in omnibus mundi partibus esse concessit, etc. Unde occidentalibus mundi partibus, divinis muneribus decoratum, signis ac virtutibus in multis orbis partibus notum Audomarum (S. Omer) apostolicum donavit doctorem. Ideo te, Deus omnipotens, per gloriosa ejusdem pontificis patrocinia precamur ut largiflua tuæ sapientiæ de supernis fluentia nostris licet maculatis mentibus rorare concedas, ut, de tanti viri meritis atque virtutibus quæ per illum tua gratia gessit scire volentes, licet de magnis parva ac de multis pauca depromere possimus. Quis enim quotidianam ejus conversationem atque in Dei servitio constantiam, cunctosque labores quos in occulto, Deo tantum teste, operatus est, scire atque D narrare potest?